

addi possint *Dd. in l. ult. C. de jure delib.* & ad hoc plurimum
conducit protestatio, quæ non in inventario tantum, sed
& in specificatione jurata adhiberi potest, quâ heres desi-
gnat omnes res, quas scivit defuncti esse, & si quæ fuerint o-
missæ, aut contingat aliàs reperiri, quam primum consecu-
tus fuerit de iis notitiam, quod & eas indicare velit, *Conf.*
Carpz. p. 3. c. 33. d. 12.

§. 7. Sub signo denique discursum meum, hoc sal-
tem quasi coronidis loco addito, quod providum admo-
dum & circumspectum oporteat esse judicem, in non ad-
mittendo quosvis ad specificationem juratam; cum repe-
riantur proh dolor! faciles nimium ad jusjurandum con-
temptu religionis, & Divini Numinis, qui cum tempora-
li & momentaneo commodo æternam salutem commuta-
re audent, irreparabili olim cum detrimento animæ, cujus
farinæ homines nisi repelleret judex, participem se redde-
ret delicti illorum, cum plus quam homicida dicatur, qui
eum, quem pejeraturum facile videt, ad jusjurandum ad-
mittit. *c. 5. C. 22. Q. 5.*

Hic telam abrumpo, & cum quo auspicatus sum labo-
rem hunc, cum eodem quoque finio: Ei sit

Laus honor & Gloria.

Vita via: anfractus varii, Tibi semita cordi
Est THEMIS Eusebien quam comitata terit,
Tendis ad hoc, MOVI, decoris sublimia colle:
Meta sit, & cursum diriget ipse DEUS.

L. M. Q.

f.

M. Joannes Christophorus Ludacus,
Eccles. Francof. Archi-Diac.

